

Wf  
583



A. 66



n. 66, 7.

an Ernst Noth



# ORATIO FUNEBRIS:

DE VITA ATQVE OBITU  
*Illustrissimi & Celsissimi Principis  
ac Domini,*

DN. FRIDERICI  
WILHELMI, DUCIS  
SAXONIAE, LANDGRAVII THV-  
RINGIAE, MARCHIONIS MIS-  
NIAE, PRINCIPIS HEN-  
NEBERGENSIS, &c.

RECITATA PVBLICE

In Actu solenni promotionis Ma-  
gistrorum XV.

M. Petro Piscatore, Lin-  
guæ sanctæ Professore, & Facul.  
Phil. p. t. Decano,

3. Augusti, anni 1602.

*Cum Epicedijs quibusdam in calce adiectis.*

I E N A E

Typis TOBIAE STEINMANNI.



*Handwritten notes in the right margin:*  
Jaz.  
1602.  
2005.  
p. 2. 5  
p. 10. 14  
Com po  
collages  
bonor  
ver  
An



*Illustrissimo & Celsissimo Principi ac  
Domino,*

**DOMINO IOHANNI,  
DVCI SAXONIAE, LANDGRAVIO  
THVRINGIAE, MARCHIONI MIS-  
NIAE, PRINCIPI HENNE-  
BERGENSI, &c,**

**Domino suo clementissimo:**

**NEC NON**

*Illustrissimis Principibus ac Dominis:*

Dn. IOHANNI PHILIPPO,  
Dn. FRIDERICO,  
Dn. IOHANNI VVILHELMO,

Ducibus Saxoniae, &c,

*Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Dn.*

**FRIDERICI WILHELMI,  
beatissimæ memoriæ,**

*Relictis Filiolis;*

*Avitæ paternæque pietatis ac virtutis  
æmulis,*

*Dominis suis Clementissimis,*

*Humilimè offert ac dedicat*

**Autor.**



# ORATIO

DE VITA ET OBITU

*Illustrissimi Principis ac Domini, Dn.*

FRIDERICI WIL-  
HELMI, DVCIS  
SAXONIAE, &c.



V Meximius ille DEI servus  
& Propheta eminentissimus,  
ELIAS, curru igneo ac equis  
igneis, per turbinem in caelos  
ascenderet, Eliaeus, in quo Spi-  
ritus Eliae duplex factus est, pra ingenti ani-  
mi dolore exclamasse, 4. Regum 2, legitur:  
PATER MI, PATER MI, CVR-  
RVS ISRAEL ET AVRIGA  
EIVS. Quod si Ego, Auditores, in publi-  
co hoc eoq; acerbissimo luctu, ob Illustris-  
simi & pientissimi Principis ac Domini,  
Dn. FRIDERICI VVILHELMI,  
sanctissimae felicissimaeque recordationis,  
obitum, uno verbulo immutato, in hanc  
vocem erumpam: PATER MI, PA-  
TER MI, CVRRVS SAXONIAE  
& auriga, sive, Equites ejus, ut Hebraea habet

## O R A T I O

veritas, quis est, qui jure mihi succentleat?  
 aut elogium istud pientissimo nostro Prin-  
 cipi meritò tribui posse eat inficias? Eum  
 enim, proh dolor, amissimus Principem, qui  
 suâ insigni pietate, qui precibus suis assiduis,  
 non minùs ac validissimus curruum belli-  
 corum exercitus & equitatus potentissimus,  
 adeoq̃ue tanquam multis cataphractorum  
 millibus instructa acies, Saxoniam com-  
 munemq̃ue nostram patriam ab injurijs, ca-  
 lamitatibus, hostium incursionibus atque  
 impressione defendit, aliaq̃ue pericula cer-  
 vicibus nostris imminencia, hæctenus, satis  
 feliciter, per DEI gratiam, à nobis propul-  
 savit. De ELIÆ itaque hujus, sive HIS-  
 KIAE nostri pientissimi, VITA atque  
 OBITU paucis, summa sequens fastigia  
 rerum, in solenni hac panegyri atque con-  
 fessu amplissimo verba facere constitui. Et si  
 enim animus erat cœptam nuper materiam  
 pertexere: An nimirum Religio Ortho-  
 doxa armis propugnari possit? Cujus Quæ-  
 stionis difficilimæ & à paucissimis vel nul-  
 lis ferè pertractatæ, partem primam, supe-  
 riori congressu, absolutam meministis; quâ  
 Privatis sive SVBDITIS, jus gladij non  
 habentibus, nequaquam armis resistere li-  
 cere

cere Religionem sinceram oppugnantibus,  
 dictum monstratumq; fuit: Cui, hac vice,  
 pars altera, eaq; difficilior, subjicienda erat:  
 Num videlicet Magistratui, inferiori etiam,  
 adeoque Principibus, Ordinibus ac Statibus  
 Imperij, adversus superiorem Magistratum  
 (certis tamen conditionibus atque limiti-  
 bus) sinceram fidei professionem armis de-  
 fendere ac propugnare liceat? Attamen,  
 cum Divus Apostolus tempori intervien-  
 dum moneat, & non saltem nos jubeat

Rom. 12.  
15.

*χαίρειν μετὰ χαίρόντων, verum etiam κλαίειν μετὰ  
 κλαιόντων, necessitati horum temporum mihi  
 obsecundandum esse putavi: praesertim,  
 cum non pauci essent ex ordine nostro Se-  
 natorio, qui, omissa jam superioris argu-  
 menti tractatione, hanc ipsam perorandi  
 provinciam mihi demandatam vellent:  
 quorum ego auctoritati refragari, aut volun-  
 tatem aspernari, judiciove gravissimo mo-  
 rosius repugnare velle, nefas esse duxi. Quod  
 dum ἐν παρόντι perficere, simplici stylo filoq;  
 conor: Vos Rectores Magnificos, caeterosq;  
 Viros ac Juvenes omni pietatis, virtutis &  
 doctrinarum genere praestantes, ut me de  
 Illustrissimi nostri Principis, FRIDE-  
 RICHI VVILHELMI, PII, Vita atque*

Obitu, ex officio, breuiter perorantem, benignè & attentè audiatis, etiam atq; etiam, quâ possum ac debeo obleruantia, oro & obtestor.

Ut ergò à primo Illustrissimi Principis nostri ortu telam narrationis ordiar, nata est Celsitudo ejus, auspicijs lanè felicissimis, in arce Vinariensi, urbe nobilissimâ, & metropoli Ducatus hujus Thuringici fertilissimâ, die XXV. mensis Aprilis, anni supra millesimum quingentesimum sexagesimi secundi. Possem hîc, Auditores, longâ serie & prolixo Catalogo commemorare, Majores laudatissimos, Herôas invictissimos; è quorum prosapia ortum duxit suum Princeps noster inclytus: verùm, ne, cum tædio, quæ ab alijs ante me copiosè ornatæque dicta sunt, repetere, & cantilenam eandem, psittaci in morem, cantare velle videar: Nihil equidem de Celsitudinis ipsius Majoribus, FRIDERICO I. BELLICOSO, Academia Lipsensis conditore, Principis nostri pientissimi Tritavo, hoc loco dicam: Nihil de FRIDERICO II. PLACIDO, Atavo: Nihil de ERNESTO, Abavo, qui cum fratre ALBERTO ex Arce Altenburgensi clam surreptus, sed di-



sed divino planè modo liberatus fuit: Ni-  
 hil de FRIDERICO III. SAPIEN-  
 TE, Patruo magno, Vitebergensis Acade-  
 miæ fundatore, Ecclesiarumque primo re-  
 formatore; qui anno supra lesquimillesi-  
 mum decimo nono, Sleidano teste, Roma-  
 norum Imperator nominatus, Majestatis  
 Cæsareæ dignitatem recusavit, suoque suf-  
 fragio, Carolum Quintum, Austriae Prin-  
 cipem & Regem Hispaniarum, designa-  
 vit: Nihil de IOHANNÉ, Proavo, qui  
 ob sinceram ac repurgatam Religionem,  
 in qua intrepidè ad extremum usque vitæ  
 halitum perstitit, CONSTANS appel-  
 latus fuit: Nihil de IOHANNÉ FRI-  
 DERICO, Magnanimo illo & invicto  
 Herœe, Principis nostri Avo sanctissimo,  
 qui MARTYR vulgò nuncupatur, pro-  
 pterea, quòd in pugna ad Mülbergam,  
 Milnensis ditionis oppidum, honestissimo  
 accepto vulnere, fortunarum jacturam fa-  
 cere, & Septemvirali dignitate spoliari  
 maluit, quàm vel latum unguem à Verbo  
 divinitus revelato, agnitaque semel veri-  
 tate deflectere: De PATRE duntaxat  
 paucula. Is verò fuit Princeps Illustrissimus  
 IOANNES VVILHELMVS, sanctissima  
 memo-

*Sleidanus*  
*lib. 1.*

memoriae, qui eo ipso anno, quo Confessio  
 Augustana scripta exhibitaque fuit, omine  
 sane auspiciatissimo, natus, eidem Confes-  
 sioni invariatae constantissime semper ad-  
 dictus fuit: qui fortissimum se militem ge-  
 mina vice in Gallijs praestitit: qui insigni  
 sua & excellenti pietate apud exteros etiam  
 claruit: qui sacrosancta Biblia magna cum  
 reverentia & singulari attentione octies  
 evoluit: qui praeter caeteros utilissimos li-  
 bros, Tomos praecipue Theandri LVTHE-  
 RI diligenter lectitavit: qui pios sincerosque  
 Verbi Ministros antea miserrime in exili-  
 um pullos, quod subscriptionem justissime  
 detrectassent Cothurni illius de Viribus hu-  
 manis, quem Victorinus Strigelius, Kauff-  
 beurenfis, Suevus, patronus Synergiae pri-  
 marius, finxerat & coxerat, moto ante cer-  
 tamine isto periculosissimo, ex mero con-  
 cepto odio in Matthiam Flacium, Illyri-  
 cum, de Ecclesia CHRISTI, si unum il-  
 lum errorem, seu furorem potius Mani-  
 chaicum, de Substantia peccati demas, pra-  
 clare meritum, revocavit; Ecclesiae eosdem  
 restituit, & hisce in Regionibus pacem ac  
 tranquillitatem feliciter instauravit: qui  
 singulari erga literas literatosque amore  
 ductus,

ductus, nec non incredibili erga sinceram Religionem ardore impulsus, anno supra sesquimillesimum quinquagesimo tertio, Bruxellam primùm, Brabantix oppidum, ad Carolum Quintum: postmodùm, anno 1557. Pragam ad Regem Romanorum, Ferdinandum, consequendorum Privilegiorum gratia almæ hujus SALANÆ Academiæ se contulit: qui denique, quod in præcipua laudis parte ponendum duco, à 20. Octobris, anni 1568. usque ad 9. Martij, anni, sexagesimi noni, Colloquio Altenburgensi, in quo de gravissimis Controversijs Theologicis, Iustificationis potissimùm Articulo, disceptatum fuit, non interesse duntaxat, sed ut gubernator etiam directorque sapientissimus præesse non dubitavit. MATREM habuit DOROTHEAM SVSANNAM, Friderici Electoris Palatini filiam, fœminam religiosissimam, sinceræ Religionis Lutheranæ amantissimam, matronam pudicitia & castitate ornatissimam. Et hæc quidem prolixius aliquantò commemorare libuit, partim ut ingentia DEI dona, quæ in hanc familiam abundè contulit, gratâ animi memoriâ recolamus: partim, ut de indole ani-

B

mique

miq̄ue dotibus egregijs Illustrissimi nostri  
Principis & præstantissimarum virtutum  
quasi segete faciliùs judicare possitis. Nam

*Fortes, ut inquit Horatius, creantur fortibus & bonis:  
Est in iuvenis, est in equis patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbam.*

Et eleganter Euripides in Hecuba:

*Δεινὸς χαρῶν κἀπίσημ' ἐν βροτοῖς  
Εὐδῶν ἄρεος. κἀπὶ μείζον ἔρχεται  
τῆς ἁφροσύνης τένοντα τοῖσιν ἀξίοις.*

*Nota evidens & insignis inter mortales,*

*Natum esse è bonis & illustribus, magisq̄, augetur*

*Nobilitatis nomen fortibus & dignis.*

Hanc ἁφροσύνην cum Parentes Illustrissimi in  
hoc suo filiolo statim deprehenderent, &  
verò Disciplinæ atque Educationis rebus in  
humanis vim tantam esse probè intellige-  
rent, ut paulatim abeat in mores, & naturæ  
vim obtinere soleat: maturè eundem Viris  
pietate, eruditione ac virtute spectatissimis  
erudiendum tradiderunt. Et primò qui-  
dem, postquam literas atque Elementa pri-  
ma percepisset, Doctissimo Viro HEN-  
RICO SIBERO, magni illius Adami  
Siberi fratri conjunctissimo, homini ad  
probè feliciterq̄ informandam Iuventu-  
tem nato: nec non Reverendo atque Cla-  
rissimo

rilsimo Viro, Dn. CASPARO MELISSANDRO, p.m. sacrosanctæ Theologiae Doctore eximio: sub quorum disciplina ac fideli institutione præclaros Princeps hic noster Illustrissimus in pietate atq; literis fecit progressus: unde Parentes Illustrissimi alijque magni nominis Viri, uberes olim optatosq; in Ecclesiam atq; Rempublicam universam fructus redundaturos esse augurarentur. Singulis namque diebus, quemadmodum ipsemet Siberus in brevi sua commemoratione de institutione nostri Principis FRIDERICI VVILHELMI, ad Principem literatissimum, Dn. IOHANNEM ALBERTVM, Ducem Megolopolitanum, anno supra sesquimillesimum septuagesimo secundo, testatur, singulis inquam diebus ex præscripto Illustrissimi Parentis, QVINQVE horis, literis dabat operam: & ut silentio involvam cætera pietatis, artium, literarumque exercitia, quæ reliquis diebus peracta sunt, dies Saturni totus illi consumptus est in perdiscendis sacris & Religionis nostræ initijs. Etenim & Evangelia Dominicalia interpretari didicit, & Catechesin Reverendi beatiq; Viri, Doctore Martini LVTHERI,

doctrinæ Evangelicæ instauratoris; nec non Davidis, regij Psalmographi, & reliqua, quæ ex sacris memoria tenuit, recitavit. Præterea, aut aliquem Psalmum, aut dictum Scripturæ insigne, quod præcipuum Caput Religionis Christianæ contineret, edidicit. Et Psalmos quidem ex versione D. Martini Lutheri Germanica, ultra quinquaginta, & in his quosdam satis prolixos, memoriter recitare potuit; ut modò sileam de Canticis Mosis, Beatæ Virginis, Zachariæ, Simeonis, tertio item ac decimo septimo Capite Iohannis Evangelistæ, & alijs, quæ ex sacris exactissimè tenuit. Nulla porò fuit annua pericope, aut Evangelij lectio, quæ toto anno diebus festis in Ecclesia usitata est, ex qua non dictum singulare, quod Religionis nostræ fundamentum completeretur, memoria custodiret. Manè autem & vesperi præter usitatas preces, partem semper Catecheseos Reverendi Viri, Dn. Doct. Martini Lutheri, p. m. aut Psalmum, aut dicta insignia, firmamenta Religionis nostræ continentia, pronunciavit. Iam post preces matutinas, Caput ex Veteri, post vespertinas verò, è Novo Testamento fuit perlectum: quibus additum semper fuit præci-

præcipuum ejus Evangelij dictum, quod ea  
 ipsa hebdomada in templo pro concione  
 fuit explicatum, adjectis præcatiunculis,  
 quas Vitus Theodorus ad singulorum Evan-  
 geliorum lectiones accommodavit. Præ-  
 catiunculas tamen illas de scripto legit,  
 quòd ingenium ipsius tenellum, nimis &  
 onerandum & obruendum, intempesti-  
 vum videretur. Die Solis diligentissimè at-  
 tentissimèque auditis sacris Concionibus,  
 quod didicisset, commemorabat: Evange-  
 lium, Epistolam ac breves illas explicatiun-  
 culas Viti Theodori, cum adjecta præcatiun-  
 cula perlegebat: quin & horis à prandio  
 expositiones recitabat Evangeliorum D.  
 Martini Lutheri, vel prolixas illas & perfe-  
 ctas, quas in templo pro concione ad popu-  
 lum informandum habuit; vel breves illas  
 & contractas, quibus domi familiam suam  
 veram ad pietatem instruxit. Reliquum  
 tempus liberum habebat, nisi quòd inter-  
 dum vel in Musicis sese exerceret, in quibus  
 fundamenta minimè contemnenda jecit,  
 parcè tamen ac modicè, ne studiorum cur-  
 sus impediretur: vel cœlo sereno, à Nobilis-  
 simo amplissimoque Viro, Dn. Henrico ab  
 Erfa, p. m. morù Præfecto, ac Præceptoribus



suis, in hortos educeretur. Puerilia hæc for-  
 lan nonnullis videbuntur, Auditores, ac le-  
 viora, quàm quæ in laudem Principis adeò  
 prolixè recenleri vel possint vel debeant.  
 Quod si qui nasutuli, aut Epicuri de grege  
 porci, mentem suam eâ Luciani probitate  
 ac modestiâ tinctam habent: rogatos eos-  
 dem obnixè velim, ut quid Spiritus sanctus  
 de sedula ejusmodi educatione præcipiat,  
 attendant. Educate, inquit, liberos vestros  
 ἐν παιδείᾳ καὶ ὑποταξίᾳ κυρίου, in disciplina & ad-  
 monitione Domini. Et alibi Divus Apo-  
 stolus præclaro elogio commendat Timo-  
 theum, quòd ἀπὸ βρέφους, A B I N F A N -  
 T I A, sacras literas norit, quæ ipsum pos-  
 sint instruere ad salutem per fidem, quæ  
 sit in Christo I E S V. Et certè, tam sedu-  
 la, tam accurata & fidelis institutio, quid  
 Illustrissimo nostro profuerit Principi, in  
 progressu plenius apparebit. Verissimum  
 enim quod Poëta inquit:

Ephes. 6. 4.  
 2. Timoth. 3. 15.

*At teneris assuescere multum est.*

Et illud alterum; Quæ in juventute didici-  
 mus, ea hærent quàm tenacissimè. Hucusq;  
 enim Princeps noster pientissimus, Præce-  
 ptores habuit sinceros, ὑποτάξας ac verè Luthe-  
 ranos, Henricum Siberum & Casparum  
 Melif



Melissandrum, Doctorem Theologum, quos equidem denuò honoris causa nomino: Verum enim verò, cum obitus præmaturus Illustrissimi Parentis, IOHANNIS VVILHELMII, felicissimæ recollectionis, in annum ætatis, nostri Illustrissimi Principis, undecimum incidere, anno nimirum reparatæ instauratæque salutis nostræ supra sesquimillesimum septuagesimo tertio, heu quanta rerum omnium repentina immutatio! quàm fata harum regionum, hujus Illustrissimi Ducatus, hujus inclytæ Academiæ, tristissima! Nam, ut silentio cætera involvam omnia, instinctu Sacramentariorum non tantum sinceri atque Orthodoxi Ecclesiæ Ministri, quos Flacianos, homines isti improbi appellabant, in exilium pellebantur: sed Professores etiam sinceri, publicè in hac Academia docentes, tristissimo sanè spectaculo, removebantur: quos inter is quoque erat, qui ad clavum Reipublicæ nostræ literariæ tum sedebat, IOSIAS nimirum MARCVS, vir religiosus, eximius Iurisconsultus & Orator excellens; qui unà cum Collegis suis, duobus saltem exceptis, Theologo uno,

uno, Iureconsulto altero, quos in hoc confes-  
 sionis amplissimo adhuc superstites, salvos &  
 incolumes, DE I beneficio, conspicio, qui,  
 inquam, æterna jam cum cœlitibus omni-  
 bus beatitudine ac felicitate fruitur.

Neque verò Professorum sincerorum  
 ordo duntaxat hanc fortunæ aleam subiit:  
 sed Princeps etiam noster pientissimus, in  
 tenera adhuc ætate constitutus, non postre-  
 mam calamitatis hujus particulam degusta-  
 re aut devorare potius coactus fuit. Nam,  
 ut *ειδικώτερα* nonnulla præteream, Celsitudini  
 ejus alij præficiuntur Præceptores, Doctor  
 Balthasar Sartorius, Theologus, & M. Iustus  
 Ludovicus Brysmannus, cui Græcæ tandem  
 Linguae Professio in hac Academia deman-  
 dabatur. Nihil hinc à Religionis sinceritate  
 deflexit Princeps noster pientissimus; nu-  
 spiam se ab illa veritatis atque *ὀρθοδοξίας* nor-  
 mæ formæque, quam prioribus annis didi-  
 cerat, dimoveri passus fuit: præsertim, cum  
 post DEVM Opt. Max. cujus providentiæ  
 ac paternæ dispositioni, primæ rectissimè  
 tribuuntur, matris pientissimæ religiola cu-  
 ra accederet, quæ filium hunc suum carissi-  
 mum veram ad pietatem, ad constantiam,  
 ad preces quotidianas, easque ardentissimas

cohor-

cohortaretur : quâ Bibliorum sacrorum ,  
aliorumque utilissimorum Commentario-  
rum, Divi potissimum Lutheri, lectionem,  
eidem sedulo diligenterque commendaret.

Et hæc quidem de Juventute atq; Edu-  
catione Illustrissimi nostri Principis, dixisse  
sufficiat : quinam fructus, quæ ornamenta,  
quæ utilitates inde in Ecclesiam atq; Rem-  
publicam universam redundarint, paucis-  
simis, quæso, mecum expendite.

Cum annum jam vicesimum primum  
complevisset, suosque subditos, anno de-  
cimum octuagesimo sexto plenarie regendos  
suscepisset, nihil prius, nihil antiquius Ec-  
clesiarum, Scholarumque salute sibi haben-  
dum esse censuit : omni diligentia magnoque  
studio, ut Ecclesie recte constituerentur, ut  
doctrina Religionis sincerioris dextere pro-  
poneretur, ut populus de DEO, deque ve-  
ris ac necessarijs vitæ officijs erudiretur, cura-  
vit. Quid de summis illis in hanc nostram  
Academiam collatis beneficijs dicam, dum,  
ut vera sinceraque Lutherana Religio in ea  
vigeret ac doceretur, effecit ; dum, nullis  
parcens sumptibus, peculij donationem ei-  
dem procuravit : dum de fundanda hac Aca-  
demia sollicitè multumque cogitavit ; id  
C quod

quod dubio procul effectum reddidisset, nisi obstacula partim atque impedimenta, de quibus nunc non est dicendi locus, hocce saluberrimum maximeque necessarium Celsitudinis ejus institutum retardassent, partim mors præmatura intervertisset. Quid porro Reformationem illam totius Electoratus Saxonici commemorem; quâ Illustrissimus hic Princeps noster Spiritu ac virtute Eliæ indutus, sordes illas Calvinianas, feces Sacramentarias, & blasphemias horrendas, ditione Electorali felicissimè expurgavit, delevit, propulsavit, ac penitus extirpare, delere funditus conatus fuit? Quid illam animi sollicitudinem referam, quâ in tollendo abolendoque schismate ac dissensione in Academia Vitebergensi, inter Theologos partim ipsos, partim Theologos atque Philosophum quendam exorto, plurimum laboravit: & quidem Philosophum illum coram potenter redarguit, eique ut turbulentis istis actionibus, & Disputationibus minimè necessarijs prorsus abstineret, serio mandavit & injunxit? Quid ardorem ejus atque zelum optimum recenseam, dum, nescio quæ nefaria in fraudem Confessionis Augustanæ incorruptæ ac invariatae,

Comi-

Comitijs Ratisponensibus, anno 1594. Sa-  
 cramentarij molirentur, unà cum Socero,  
**PHILIPPO LVDOVICO**, Palati-  
 no, Principe laudatissimo sapientissimoq̄;  
 ipsorum conatibus & machinationibus  
 fortissimè restitit, eademque felicissimè  
 inhibuit & compescuit? Quid labores, cu-  
 ras, deliberationes, in instituendo Ratispo-  
 næ cum Iesuitis, Diaboli ac Pontificis Ro-  
 mani, ejusdem Vicarij, satellitibus, duello  
 atque Colloquio, memorem; quippe cujus  
 Celsitudini de hominum istorum impu-  
 dentia malitiaque constaret optimè: Tan-  
 dem tamen, ut nostrates Theologi, armis ex  
 hoplothecca Paulina Ephes. 6. instructi, &  
 gladio Spiritus, quod est Verbum DE I, in-  
 duti, cum Adversarijs confingerent, & ne-  
 quissimi tela ignea extinguerent, decrevit:  
 quod sanè consilium felicissimè successit,  
 ita quidem, ut Adversariorum copix in eas  
 redigerentur angustias, ut, quò tenderent  
 amplius, non haberent: & ut Romanæ Sy-  
 nagogæ Paterculi, Iesuitas volo, cum æterna  
 nominis sui ignominia, terga verterent,  
 summoque cum dedecore è palæstra tur-  
 pissimè discederent. Quo tandem loco il-  
 lud habendum putatis, Auditores, quòd res

nulla tam necessaria incidere poterat, quin  
 prima luce aliquot horas librorum sacro-  
 rum lectionibus impenderet, aliquot Bi-  
 bliorum Capita diligenter & perlegeret  
 & animo versaret, priusquam ulla de re alia  
 cogitationem susciperet. Semper enim il-  
 lud animo ipsius obversabatur, quod Deu-  
 teronomij 17. scriptum legitur: Postquam  
 Rex aut Princeps sederit in solio regni sui,  
 describet sibi Deuteronomium Legis hujus  
 in volumine, accipiens exemplar à Sacerdo-  
 tibus tribus Leviticæ, & habebit secum le-  
 getque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut di-  
 scat timere Dominum DEVM suum, &  
 custodire verba & ceremonias ejus, quæ in  
 Lege præcepta sunt. Quin & lectionem  
 optimorum Commentariorum, Lutheri  
 præcipuè, adhibebat: & haud rarò cum Bi-  
 blijs sacris, Tomos beati LVTHERI in  
 templum adduci præcipiebat: ut, cum ex  
 iisdem Concionator aulicus, Reverendus &  
 Clarissimus Vir, M. DAVID MEISIVS,  
 nonnulla inter concionandum allegaret,  
 continuò Celsitudo ejus illa ipsa loca inve-  
 stigare posset & inspicere. Quæ res ita in  
 Principe nostro piensissimo, scientiã auxit  
 Theologicam, fidem confirmavit, eumque  
 divino-

divinorum oraculorum notitiâ ita reddidit instructum; ut cum Theologis etiam exercitatissimis in arenam posset descendere; & ut nullus esset paulò difficilior ad intelligendum, aut ad enucleandum locus obscurior, cujus interpretationem verumque sensum non haberet in promptu, si necessitas ita flagitaret. Exemplum sanè dignissimum, quod omnes potiùs imitentur, quicumque & rebus optimis animum imbuere, & nostræ vernaculæ linguæ puritatem atque elegantiam addiscere satagunt: quàm ut aliorum nugas evolvant, quibus non animus duntaxat inficitur, sed ipsa quoque lingua Germanica corrumpitur ac depravatur: Opium nimirum pro apio, nubem pro Iunone arripiunt; adeoque siliquis vescuntur, fruges dum aspernantur opimas. Et certè quanti Princeps noster pientissimus Divi Lutheri scripta fecerit, vel ex eo cuivis patere potest, quòd Conciones illas, quas domi suæ habuit LV T H E R V S, latinitate donari curavit: ut hoc pacto ijs quoque utiliter interserviretur, qui Linguæ nostræ vernaculæ cognitione destituuntur: & ut quamplurimi ad lectionem librorum Lutheri invitarentur. **Quin & Neotericorum quorundam**



rundam scripta, eaque utilissima semper, quaeque Controversiarum explicationem contra Pontificios & Calvinistas contine-  
rent, studiosè accurateque evoluit. De-  
nique sacrae Synaxeos usu & veri corporis  
ac sanguinis Domini nostri IESV Christi  
perceptione crebra fidem suam confirma-  
bat: & Conciones sacras ita frequentabat  
diligenter, eaque aviditate audiebat ac desi-  
derio; ut morbi etiam tempore ab auscul-  
tandis sacris Concionibus avelli se nequa-  
quam pateretur. Cumque ob extremam  
tandem virium imbecillitatem ac morbi  
vehementiam templum adire, sacris inter-  
esse, DEVMque in congregatione sancto-  
rum ac coetu fidelium unà cum alijs laudare  
non posset: Ah quanta Principis nostri  
FRIDERICI VVILHELMI suspi-  
ria? qui gemitus? quae lachrymae? Etsi enim  
necessitate ipsa excludebatur, & valetudine  
adversa excusationem rectissimè mereba-  
tur Princeps noster Optimus: Ne tamen  
DEVM suum, in quo toto vitae suae tem-  
pore, spem omnem suam atque fiduciam,  
praesidium omne suum collocarat, offende-  
ret, metuebat: Ideoque adveniente Concio-  
nato re aulico, morbi statim atrocitatem ex-  
ponit



ponit, virium imbecillitatem narrat, & simul obnixè petit, huic suæ ignoscat absentia: quamprimùm verò convaluerit, jacturam istam atque absentiam magna se diligentia & attentione compensaturum pollicetur. O mirandam, ô stupendam Principis nostri **FRIDERICI VVILHELMI** pietatem! ô amorem & ardorem erga verbum divinum ardentissimum juxtà & flagrantissimum! in quo se ad extremum usque vitæ halitum conservari Symbolo quoque suo quotidie petijt, quod est hujusmodi: **CONSERVA ME DOMINE IN VERBO TVO.** Et alterum illud, quo sæpè Celsitudo ejus usa fuit, **PIETAS TVTISSIMA VIRTUS**, animum verè piûm ac religiosum satis indicat. Non verò temerè aut casu talem nobis habere Principem contigit, Auditores: sed, qui in hac illustrissima familia Bellicosos, qui Placidos, qui Sapientes, qui Constantes, qui Magnanimos & invictos olim excitavit, **DEVS** nimirùm Opt. Max: Is hunc quoque **FRIDERICVM VVILHELMVM PIVM**, quem jure optimo, optimorumq; omnium consensu verissimè ita nuncupare possumus, is, inquam, omnis boni fons & origo,

origo, autor & dator unicus, hunc quoque  
FRIDERICVM VVILHELMVM  
PIVM clementer nobis largitus fuit.

Ad Reipublicæ administrationem si  
descendamus, quæ Iustitiæ nostri Principis  
par oratio inveniri potest? Etenim sine *προ-  
σωπληψία*, non in hisce duntaxat regionibus,  
sed in toto etiam Ducatu Electorali, sub ad-  
ministratione difficilima jus, omnibus ex  
æquo bonoq̄ue dicebat. Ditionem & suam  
& Electoralem non à calamitate tantum,  
verum etiam à metu calamitatis defende-  
bat: præsertim annis superioribus proximis,  
cùm in vicinis regionibus à perfidis Hispa-  
nis funestum bellum moveretur, singulari  
cavebat prudentiâ, ne communis hæc no-  
stra patria bello vel incursionibus affligere-  
tur: quin & conatus eorundem perniciosis-  
simos solus ferè suâ prudentiâ, curâ, matu-  
roq̄ue consilio repressit, & à Germanorum  
cervicibus propulsavit. Quid de singulari  
ejus comitate, insigni clementia, & animi  
moderatione eximiâ, dicam, quâ nihil te-  
merè, nihil iracundè, nihil crudeliter vel di-  
cebat vel agebat unquam, sed paterno planè  
suos gubernabat imperio, adeoq̄ue clemen-  
tem se atque pacificum non nomine dun-  
taxat,

taxat, sed reiplâ etiam exhibebat? Cui verò ignota esse potest liberalitas Illustrissimi nostri Principis? Testis est Cæsar, qui liberalitatem ejus in suppeditandis & viris & viribus contra Turcarum tyrannidem, læpenumerò sensit: testes sunt harum regionum aulæ quamplurimæ, quæ liberalitatem nostri Principis gratâ mente agnoscunt & prædicant: Testes sunt Viri doctissimi & clarissimi, ijque numero plurimi, qui hanc Principis nostri liberalitatem experti sunt, dum varios ingenij sui foetus ejus Celsitudini humilimè offerrent ac dedicarent; & quidem in Poësi maximè, quâ, ut & linguis, quas donum DEI esse ex Paulo didicerat, vehementer delectabatur, adeò ut viso lectoque Carmine aliquo elegantiori mirificè lætari ac gestire quasi videretur.

Conjugium denique contraxit geminum, & primò quidem, cum SOPHIA VVirtembergica, filia Dn. CHRISTOPHORI; Sorore Dn. LVDOVICI, Ducum VVirtembergicorum laudatissimorum: postea verò, cum placidè illa in Domino obdormivisset, cum ANNA MARIA, Palatina, Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. PHILIPPI LVDOVICI, Pala-

D tini,

tini, filia, castissima pientissimaq;: ex quibus, divinâ benedictione, liberorum **DECEM** pater factus est; illâ quidem duorum filiorum, trium filiarum, **DOROTHEÆ MARIÆ, IOHANNIS VVILHELMII & FRIDERICI**, præmortuorum, **DOROTHEÆ SOPHIÆ, & ANNÆ MARIÆ**: Hac verò, trium filiolorum, duarum filiarum, **IOHANNIS PHILIPPI, ANNÆ SOPHIÆ, FRIDERICI, IOHANNIS VVILHELMII**, ac **DOROTHEÆ**. In quo utroque Conjugio fortunatissimo, ita vixit concorditer, ita castitati studuit fideliter; ut verè Exemplar, Imago, atque Speculum castitatis, concordiaæ atque unanimatis, conjuges isti Illustrissimi esse possint: Liberos quoque suos veram ad pietatem, ad modestiam, ad castitatem, honestatemque morum *ἐν ταυδεῖς αὐτῶν ὑποβοηθῶν τῶν κυρίων*, secundū Præceptum Apostolicum, enutrivit.

Iam, ut finem perorandi tandem faciam, cū Mensis Iunij die 21. Ichtershufium sese conferret Princeps noster Illustrissimus, in ipso itinere eodem morbo corripitur, qui Celsitudinem ejus jam antè aliquoties afflixerat. Vinariam ergò repetens Ma-

gnifi-

gnificum Dominum Cancellarium, MAR-  
 CVM GERSTENBERGIVM &  
 GEORGIVM à Wolfframsдорff /  
 quos honoris causa nomino, unà secum in  
 rhedâ vehi cupit, & cum ijsdem multa gra-  
 viter ac piè de arte benè beateque moriendi  
 differit; ac hominum quorundam impro-  
 bitatem miratur, qui omnem mortis me-  
 moriam refugiunt. Toto etiam morbi sui  
 tempore ne minimum quidem impatien-  
 tiæ indicium apparebat; vidisses multarum  
 præstantissimarum virtutum, pietatis, pa-  
 tientiae, constantiae exemplar exactissi-  
 mum: Ministros aulicos mœstissimos, Con-  
 jugem dilectissimam, liberos dulcissimos,  
 à lachrymis & ejulatibus, ut sibi tempera-  
 rent, hortabatur: orans interim ardentis-  
 simè, & Psalmos quosdam Davidicos alia-  
 que dicta consolatoria recitans; illud præ-  
 cipuè Iohannis tertio: Sic DEVS dilexit  
 mundum, ut Filium suum unigenitum da-  
 ret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat,  
 sed habeat vitam æternam. Mandabat et-  
 iam, ut exequias celebraturi πολλὴ φαντασία  
 abstinerent, & mediocri pompâ, more Ma-  
 jorum suorum, contenti essent. Cumque  
 curâ verè paternâ erga liberos tenellos &

conjugem dilectissimam, futuram viduam, afficeretur; & verò horam mortis jam jam imminere persentisceret; edita primùm fidei Confessione ingenuâ: se nimirum, quod, DEI beneficio, fecisset hætenus, permanere constantem in verbo divinitus revelato, cujus summa in Confessione Augustana invariata, ac Formula Concordiæ comprehensa sit: Et è contrario omnium Calvinistarum & Pontificiorum errores & blasphemias, nec non aliorum opiniones fanaticas ex animo rejicere & abominari: cujus rei testes ut essent in extremo die coram tribunali IESV Christi omnes tùm præsentes rogabat: Edita, inquam, primùm confessione ista præclarissima, liberos suos carissimos omnes atque singulos ad se adduci jubet. Id quod statim etiam, horâ octava vespertinâ factum fuit. Filias ergò primùm, quas è priore Coniuge susceperat, sic affatur: Filiolæ dilectissimæ, sectamini pietatem: honestati studete: matri vestræ, quam minimè novercam expertæ estis, obtemperate. Est DEVS, qui orphanorum curam gerit, Dominus DEVS noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra: Erigens de pulvere inopem, &

de ster-

*Psal. 113.  
5. 6. 7.*

de stercore exaltans pauperem, is, inquam, vos nunquam derelinquet, quamvis opibus fortè nonnullis haud cōparandæ sitis. Mox ad filiolos conversus, tres tenellos Principes; majorem natu, vix septem annorum Principem, ita alloquitur: Mi IOHAN- NES PHILIPPE, esto esto pius, ac studijs humanitatis ac literarum diligenter incum- bito: sic nimirum feliciter aliquando sede- bis ad Reipublicæ gubernacula, & prosperè subditos fidei tuæ commissos olim modera- beris. Tandem Conjugi mœstissimæ; Te, inquit, Conjux mea dilectissima, divinæ protectioni commendatam volo: Viduam etsi te derelinquo, nunquam tamen quic- quam rerum necessariarū defuturum con- fido: in vitæ demum alterius beatissimo consortio mutuò nos conspecturi sumus. Sic ergò illâ ipsâ vespérâ, horâ noctis unde- cimâ, die Julij septimo, postquam vixisset annos 40, menses duos, dies 12. & horas to- tidem, sine omni corporis cruciatu, qui qui- dem animadverti posset, placidissimè ob- dormivit, & piam suam animulam Patri cœlesti, in cujus manus eam, quàm diligen- tissimè commendarat, reddidit.

Hujus ergò Principis optimi, FRIDE-

## O R A T I O

RICHI VVILHELMI, PII, obitum  
 præmaturum, quippe quem eâ ætate amissi-  
 mus, quæ rebus gerendis est aptissima, an  
 non lugeamus, an non deploremus & toti  
 in lachrymas, in singultus ac suspiria resol-  
 vamur? Luget eum Cæsar, Princeps cle-  
 mentissimus, cum tota aula Cæsarea: Luget  
 hunc Illustrissimus Princeps, IOHAN-  
 NES, Dominus noster clementissimus;  
 Lugent & deplorant eum mœstissima vi-  
 dua, filij filiaque cum amita tristissima.  
 Non incolæ duntaxat harum regionum ac  
 subditi, sed exteri quoque Principem no-  
 strum pacificum ac religiosissimum lamen-  
 tantur: Quin & cœlum ipsum turbidum &  
 ingrati, amissum hunc Principem deplora-  
 re videtur. Et certè non video, quem lugen-  
 di modum inveniremus, nisi, amisso jam  
 FRIDERICO VVILHELMO, PIO, di-  
 vinitus nobis relictus esset Illustrissimus ac  
 celsissimus Princeps IOHANNES, CON-  
 STANS, quem, unà cum filijs, Patris Fra-  
 trisque vestigia strenuè ac perpetuò secutu-  
 rum confidimus: Id, quod ratum esse jubeat  
 DEVS unus & trinus, qui Principi nostro  
 clementissimo longævitatem; qui Ecclesiæ  
 ac hisce regionibus pacem & tranquillita-  
 tem



tem solus largiri potest, per ac propter Do-  
minum & Servatorem nostrum IESVM  
Christum, cui sit laus, honos, gloria seculis  
indefinitis, AMEN, AMEN.



## E P I C E D I V M

*In prematurum quidem, sed tamen pium obitum Illu-  
strissimi, Celsissimi, Christianissimi & Clemen-  
tissimi Principis ac Domini,*

**DN. FRIDERICI WIL-  
HELMI, DVCIS SAXONIAE, LAND-  
GRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, &c.**  
nutritij veræ Ecclesiæ, & amplificatoris Reipublicæ  
Christianæ, nunc gloriosè triumphantis  
in vita æterna, &c.

*Pia observantia ac sanctæ memoriæ ergò  
conscriptum à*

**D. AMBROSIO REVDENIO,  
PROFESSORE THEOLOGIAE.**



*T Genus, & Proavos, & Avos ipsosq; Pa-  
rentes,*

*Defuncti celebres Principis esse, scio.*

*Nam Proavus Princeps, constans pieta-  
te, fideq; ,*

*Promovit veræ Religionis opus.*

*Cæsar erat Carolus, moderator summus in orbe,*

*Pontificis fraudes quo DEVS exposuit.*

*Augu-*

## E P I C E D I V M.

Augustana pijs nota est Confessio verbi,  
 Quam manibus Proavus Caesaris exhibuit.  
 Hanc tutatus Avus manifesta pericula vitæ  
 Negligit, haud renuens pro pietate mori.  
 Unde, crucem passus, varia & discrimina rerum,  
 Martyris intrepidi nomen adeptus ovat.  
 Non minor est virtus in utroq; parente notanda,  
 Principe præclare quo fuit ille satus.  
 Nam Patris exortus fatali contigit anno,  
 Is Liber Augusta quo fuit exhibitus.  
 Hunc secum voluit, populum post Biblia, Corpus  
 Doctrina ut monstrat, volvere templa, scholas.  
 Fortiter huic normæ fidissima mater adhesit,  
 Non maledicta morans, scommata, probra, minas,  
 Filius hanc famam multis virtutibus auxit  
 Et Patris, & Matris non male gesta sequens.  
 A teneris didicit, sacra iuxta scripta Lutheri,  
 Præcipuos fidei sedulus articulos.  
 Nactus enim primos pietate, ac arte Magistros,  
 Artes coniunxit cum pietate pius.  
 Sed fremuit Satanas, presso, moriente Parente,  
 Diversum soboli tradere dogma, studens.  
 Non tamen impedit prorsus Cacadæmonis astus:  
 Dum precibus Genitrix viva superstes erat.  
 Quin potius tribuit sic strenuus otia Musis:  
 Ut tandem fieret doctus, & arte potens.  
 Omnia discendo solers industria vicit,  
 Plurima nosse, Duci non labor ullus erat.  
 Talem Principibus Princeps se gessit in annis:  
 Donec adhuc voluit subditus esse iugo.  
 Eiusdem pietatis amans fuit utraq; Coniunx,  
 Vtraq; pulchra satis, casta, pudica, pia.

Non

E P I C E D I V M.

Non placuit virgo, diverso dogmate dispar,  
 Sed verâ duxit religionem Pares.  
 Sic fuit una fides, ambobus & una voluntas:  
 Sic duo coniunxit pectora verus amor.  
 Artes, quas didicit FRIDERICVS Dux GVLIELMVS,  
 Semper in officio pervigil exeruit.  
 Hoc Duce, in his terris concors Ecclesia mansit,  
 Omnibus in templis dogmata pura tenens.  
 Ast ubi Misniacas turbavit Cinglius oras,  
 Vndiq; pro veris somnia falsa sonans:  
 Extitit horribilis subito confusio rerum:  
 Doctrinæ cepit dum genus, esse novum.  
 Non fraudis, sed laudis erat, tunc quosq; ministros  
 Constantes miserum pellere in exilium.  
 Interea heretici nugis, & nomine calvi  
 Calvinum insidijs plurima templa replent.  
 Christum discerpunt, naturam, in tempore factam,  
 Nobis in terris nullibi adesse, crepant.  
 Hinc dare pane suum corpus vinoq; cruorem,  
 Illum diversis, possibile esse negant.  
 Omnia pervertunt, commiscunt ima supremis:  
 Versuta innocuos calliditate premunt.  
 His fuit Elector iuvenis deceptus: ut inde  
 Sit citius, multis visus obire diem.  
 Sed Deus has fraudes detexit, vindice Christo,  
 Quando luit pœnas Zvinglica turba suas.  
 Noster enim Princeps compescuit arte tumultus,  
 Illa cohors passim quos furibunda dedit.  
 Hoc Duce Calvinum grassari Secta, quievit.  
 Dum, Tutore novo, ritè repressa fuit.  
 Aufugiunt, qui falsa gregem docuere, Sophistæ,  
 Et redeunt veteres mox ad ovile suum.

E

Nam

Non

Nam selecta virum pars illas visitat urbes :  
 In quibus id stygium virus inesse, sciunt.  
 Sic iterum sumsit validas Ecclesia vires,  
 Puro dum purus pectore Præco docet.  
 Hoc regnante, satis, crescens, Respublica floret,  
 Hæc simul infesto natio Marte caret.  
 Quisq; domi, potuit, cum coniuge vivere tutus,  
 Et placidâ sobolem pace fovere suam.  
 His sumus innumeris sub Principe dotibus aucti,  
 Et status in terris tam bonus antè fuit.  
 Sed fuit indignus tam sancto Principe Mundus :  
 Dum peccata vigent, fraus, dolus, insidia.  
 Non populus retulit pro tanto munere grates,  
 Nec petijt; Princeps viveret ulterius.  
 Ergò DEVS, nobis iratus, transtulit illum,  
 Paucos post annos in loca læta poli.  
 Corpus cum patribus templi requiescit in urnâ,  
 Ast animus cæli vivus in æde manet.  
 Donec ad extremum redeat novisse priorem  
 Carnem quam recipit, sicut & ossa sua.  
 Totus in æternum tunc saluus luce fruatur  
 Cælesti, in sancto Numine semper orans.  
 Talis erat nostri constans fortuna beati  
 Principis : in cælo qui sine fine manet.  
 Verùm tam subito non frustra extinguitur Heros :  
 Talibus occultum casibus omen inest.  
 Non ego sum vates, nec vim mihi sumo Prophetæ,  
 Prædicant alij, tristia quæ veniant.  
 Omnia quottidiè fermè ruitura videntur,  
 Protinùs, experior multa pericla sequi.  
 Non magis est cura divini concio verbi,  
 Non placet ulterius Biblica Simplicitas.

Qui

Qui sine fraude docent aeterna dogma salutis,  
 In Mundo non sunt amplius in pretio.  
 Ergò Turca suum longè, lateq; propagat  
 Virus, ad hoc scabies Zvinglica monstrat iter.  
 Dum stertunt Proceres simul & pleriq; Ministri,  
 Vndiq; Calvinus nidificare cupit.  
 Factio sic plures recipit Mahometica vires:  
 Et multos homines impietate replet.  
 Restat adhuc alius, furijs truculentior, hostis,  
 Papa, suum regnum, iam, renovare studet.  
 Sacrifici, rasiq; greges, ac tetra, Suita,  
 Agmina, nunc iterum nocte, dieq; furunt.  
 Increscunt animis rabida crudelibus ira,  
 Occupat insanos seva cupido necis.  
 Discipulos, satagunt, cunctos delere Lutheri,  
 Innumerisq; scatent fraudibus, atq; dolis.  
 Nuper eos vicit solius regula verbi,  
 Idcirco graviter rafa caterva dolet.  
 Interea mala turba malas excogitat artes:  
 Incautis turpes ut struat insidias.  
 Antichristus enim mala nunc extrema minatur:  
 Qui Christum puro pectore, & ore colunt.  
 Iam de colloquio mendacia plurima spargunt  
 Papicola; Papam, rentur & esse caput.  
 Pompificem summo pro numine, quisquis adoret,  
 Inde petatur enim formula iudicij.  
 Hungerus & Gretser velut & malè sanus aberrat  
 Tanner, Papa suo iudicet ex cerebro.  
 Biblia non curet: tantùm decreta sequatur,  
 Cudere per Monachos quæ mala Suada solet.  
 Hostes non alio nobiscum iudice certant,  
 Solus hic est ipsis regula, norma, fides.

Ultima sunt hominum fragilis nunc tempora vita.  
 Sevius ergo trucidis Daemonis ira furit.  
 Concilium, Latia de religione peractum,  
 Continet innumeris dogmata falsa dolis.  
 Hoc cupit Italia Meretrix obtrudere Mundo,  
 Vndis, ferro, igni, fulmine, voce, libris.  
 Iamq; novis iterum pingit mendacia fucis,  
 Atq; mali bellum Spiritus arte gerit.  
 In partesq; suas nunc hos, nunc pertrahit illos:  
 Qui non ulterius Biblica scripta legunt.  
 Hos Latij praesul secum demergit averno:  
 Quos non credentes in sua castra trahit.  
 Talia mors nostri discrimina Principis affert:  
 Cui populus gratus non fuit, ut decuit.  
 Quis, precor in terris nunc tanta pericula tollet?  
 Quisq; sua noster voce sequester erit?  
 Quam ratione DEI iustam placabimus iram?  
 Quomodo nostra DEO vita placere potest?  
 Ethnica non virtus facit hoc, non Alcoranus,  
 Non Talmuth, nihil hic Zovinglicus error aget.  
 Cerberus haudq; triceps, triplicem licet ipse coronam  
 Gestet, & in Mundo maximus esse velit.  
 Non Monachi, non Sacrifici, non credo, Suite,  
 Artifices scelerum, tale quid efficient.  
 Murrura non Missae, fiera non traditiones,  
 Non decreta, nimis dissona Pontificum.  
 Verum, qui meritas cupiunt avertere poenas,  
 Mox resipiscentes ex animo doleant.  
 In veraq; fide properent ad munera Christi:  
 Eius quae gratis gratia distribuit.  
 Ut Praecepta DEI, sanctae Legesq; requirunt,  
 Posthac unanimes vivere, constituent.

Praecipue purâ sibi sumant, mente colendum  
 Numen: quod cunctis semper adesse, sciant.  
 Biblia sint illis, sint scripta Prophetica cordi,  
 Sint & Apostolici regula sola libri.  
 Inde petant operum, quæ præsent undiq, normam,  
 Inde suum discant reddere cuiq, locum.  
 Princeps est nobis hac in regione superstes:  
 Quem fratris, fratrem, munus obire, decet.  
 Saxonie Decus eximium, compello IOHANNEM:  
 In quo Maiorum nomen & omen inest.  
 Fac DEVS: ut peragat defuncti iussa Parentis:  
 Fratibus ambobus quæ dedit ante obitum.  
 DAVIDIS referat pius hic pietatis honorem.  
 Sicut erat SALOMON, pace celebris erit.  
 Iustitiâ IOSAPHAT sit, & amulus EZECHIAE.  
 Postea virtutes exprimat & IOSIAE.  
 Sic in eo splendent: bonitas, sapientia, candor,  
 Sic quoq, clarus erit iustitiâ, atq, fide.  
 Hac ratione vetus confessio pura manebit:  
 Quam, benè fundatam, ritè Lutherus habet.  
 Colliget illustris plures Academia vires.  
 Florebunt urbes, incola, pagus, agri.  
 Atq, carens remoris, concors Ecclesia crescet:  
 Dum coniuncta manent pascua, pastor, oves.  
 ANNA MARIA suo nuper viduata marito,  
 Non leve præsidium sentiet inde sibi.  
 Huius erit præsens casus, luctusq, levamen:  
 Nè cum Prole nimis mæsta gemat vidua.  
 Non tamen immeritò mæret mæstissima Coniunx:  
 Non temerè Nati filioliq, dolent.  
 Non frustrâ afficitur Princeps angore IOHANNES:  
 Quem sequitur planctus Coniugis, & Sobolis.



## E P I C E D I V M.

Atq; Socer tristis nunc has accedet ad oras:  
 Absentem Generum, dum videt esse suum.  
 In Socero, & Genero constans fuit una voluntas,  
 Pectoris una fides, unaq; religio.  
 Vera cano, verè dilexit uterq; Lutheri  
 Nobis qua pietas optima scripta dedit.  
 Ergò Palatinus, subito lugebit ademptum:  
 Quem plures statuit, vivere posse dies.  
 Ienenses igitur lugubria carmina Musa  
 Pangunt: & plangunt Misnia, Sala, Nemus.  
 Sed fuit in fatis, citò rumpere stamina vita:  
 Quem firmata fides cogit inire polum.  
 Eius præ reliquis placuit sanctissima virtus.  
 Ergò DEI nutu tendit ad astra celer.  
 Nos miseri immundo versamur in orbe relictì.  
 Non mutare DEI possumus arbitrium.  
 Post lacrymas, quibus undiq; adhuc Turingia plena est,  
 Ardentes querulo fundimus ore preces.  
 Nunquam ruta, virens, nostris vilescat in hortis:  
 Semper odoratis florida sit folijs.  
 Sicut palma viget, sed pressa, resurgit in altum,  
 Perpetuò crescens, efferat alta caput.  
 Quod precor ex animo, quàm ruta virescere, cesset:  
 Antè vagus nullas Albis habebit aquas.  
 Dante DEO, Procerum nostrorum stemma manebit.  
 Desinet haud unquam Saxoniq; Domus.  
 Filioli IANI florescent: atq; Nepotes,  
 Quod Pater iniunxit semper erunt memores.  
 Filiolæ lepida, dulcissima pignora Patris,  
 Efficient, urget quod pia Mater, opus.  
 Grata DEO res est reverentia tanta Parentum,  
 Quotidiè hac pietas præmia digna feret.

Christe



E P I C E D I V M.

Christe, trium fratrum Princeps protector & altor,  
 Ritè tuâ celeres erudiantur ope.  
 Præceptore pio, valido ratione docendi,  
 Discere, non cessent, plura subinde domi.  
 Parva Catechismi repetant Præcepta Lutheri:  
 Cætera quò meliùs postea scripta legant.  
 Nil etiam pigeat, didicisse fideliter artes:  
 Quæ quoq; Principibus commoda multa ferunt.  
 Sunt aliqua lingua Ducibus sudore paranda,  
 Scilicet hæ: quæ non utilitate carent.  
 Hæc ubi præstiterint, quos nomino, spontè Quirites,  
 Egregium columen posteritatis erunt.  
 Et pietate pium referent virtute Parentem:  
 Illorumq; labor nullus inanis erit.  
 Quin honor, atq; decus, nomen, laudesq; manebunt:  
 Dum radios Titan spargit in orbe suos.

A L I V D.

**M**ors inopina manu ex oculis rapidâ abstulit,  
 Rutæ è Saxonico nobile germen agro. (cheu!  
 Flete obitum Proceres; abitum lugete Dynastæ:  
 Qui vasti orbis erat fama decusque, fuit.  
 Flete obitum Comites; abitum lugete Vasalli:  
 Qui regionis erat Dux Dominusque, ruit.  
 Flete obitum Patres; abitum lugete Clientes:  
 Qui Scholæ & Urbis erat Pyramis alta, iacet.  
 Flete obitum Vates; abitum lugete Marones:  
 Qui Charitum ultor erat Corycidumque, tacet.  
 GVILHELMVM dico FRIDERICVM, Heroa celebrem:  
 Hic fuit atque ruit; Hic iacet atque tacet.  
 Religionis apex fuerat; virtutis asylum:  
 Ecclesie Eusebiæ; præsidium Eunomiæ.

Flet

Christe

EPICEDIVM.

Flet Themis alma, Fides flet dia, flet Enthea virtus:  
 Flet chorus Aonidum, flet Charitumque Trias.  
 Flet Sala, fletque Albis, fletq; Ulmus, & omnis aquæ vis:  
 Flet polis, aula, domus; flet schola, templa, forum.  
 Flete Patris Patriæ mortem asperam, & aspera fata  
 Cæsar, Rex, Princeps, Dux, Comes, omnis Homo.  
 Talis Herus tantusque Heros non quolibet anno  
 Nascitur, aut natum non ita IHOVA beat.  
 Flete obitum Proceres; abitum lugete Dynastæ:  
 Qui vasti orbis erat fama decusque, *fuit.*  
 Flete obitum Comites; abitum lugete Vasalli;  
 Qui regionis erat Dux Dominusque, *ruit.*  
 Flete obitum Patres; abitum lugete Clientes;  
 Qui Scholæ & Urbis erat Pyramis alta, *iacet.*  
 Flete obitum Vates; abitum lugete Marones;  
 Qui Charitum ultor erat Corycidumque, *tacet.*  
 GVILHELMVM dico FRIDERICVM, Heroa celebrem:  
 Hic *fuit* atque *ruit*; hic *iacet* atque *tacet.*  
 Mors inopina manu ex oculis rapidâ abstulit, Eheu!  
 Rutæ è Saxonico nobile germen agro.  
 Imò vivit adhuc, sed, ut Angeli, in æthere clarat;  
 Et ceu Stella micans nunc nitet atque micat.

*ἀνάστασις.*

FRIEDERICVS GVILHELMVS DVX SAXONIAE,  
 LANTGRAVIVS TYRINGIAE ET MAR-  
 CHIO MISNIAE.

**L**EX *cure mihi dia fuit; Grex gaudia summa:*  
*Nunc satiùs verâ in Relligione mori est.*

M. Ioannes Hartmannus Ro-  
 tenburgo-Tuberanus Francus  
 P. L. Cæsareus.

rtus:  
Trias.  
quæ vis:  
forum.  
a fata  
Homo.  
no  
t.  
tæ:

it.

acet.

e, tacet.  
lebre:

Eheu!

it;  
cat.

NI AE,  
R-

7:  
7.

inus Ro-  
Francus

ULB Halle

3

004 967 704



VDA





verit  
aut e  
cipi  
enim  
luâ in  
non  
coru  
adeo  
milla  
mun  
lami  
impr  
vicib  
felici  
favita  
K I A  
O B I  
rerun  
fessu  
enim  
perte  
doxa  
fiom  
lis fer  
riori  
Priva  
haber

ccenleat ?  
tro Prin-  
ias ? Eum  
ipem, qui  
salsiduis,  
um belli-  
tissimus,  
actorum  
m com-  
nurijs, ca  
ous atque  
cula cer-  
nus, satis  
s propul-  
ve HIS-  
A atque  
s fastigia  
que con-  
itui. Etsi  
materiam  
Ortho-  
jus Quæ-  
vel nul-  
m, supe-  
stis; quâ  
adij non  
istere li-  
cere

